



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 1. An una Ecclesia parochialis possit duos simul Parochos
habere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Horum verò Episcoporum potestatem, & facultates amplissimas, præsertim in Missionibus, recensemus inferius tract. 2. cap. 5. ubi de variis Missionariorum Facultatibus tractamus: item tract. 3. cap. 4. §. 4. in fine, de potestate Episcoporum in casibus Pontifici reservatis.

RESOLUTIONES

PARTICULARES

AD PASTORALE

*Munus, Personam, & Privilegia
speciatim pertinentes.*

Præsertim quàm accedamus ad functiones particulares Ordinis ac Jurisdictionis in singulis Sacramentis, quædam singularia ipsam Ministri personam præcipuè concernentia, hic breviter resolvemus.

QUÆSTIO PRIMA.

*An una Ecclesia Parochialis possit duos simul
Parochos habere?*

Respondeo negativè. Quia etsi contingeret plures ad munia unius Ecclesiæ peragenda præfici, ille tantum esset Parochus qui suo nomine & independentè ab aliis curam illius Ecclesiæ adm-

186 Pars 3. tit. 1. De Pastoralis munere persona &c.
administrat. Et constat ex Jure Canonico, cap.
1. de sponsa duorum : & Rotæ decisione 489. n.
3. part. 1.

Sed quæres ? An Episcopus non possit unam
Ecclesiam Parochialem habenti alteram con-
ferre ?

Respondeo, id posse quidem, sed post pacifi-
cam possessionem secundæ Ecclesiæ, statim, va-
cat prima. Sic declaravit Sacra Congreg. Con-
cilij, & tradit Barbosa in summa Apostolic.
Decis. verbo, *Parochialis Ecclesia*. collect. 552.
n. 54.

Sed excipe apud eundem num. 12. Nisi per
consuetudinem, quæ 40. annis viguerit, Eccle-
siæ duæ tanquam unitæ, semper uni, sine dis-
pensatione, collatæ, fuerint : ita etiam censuit
S. Congreg. apud Zerolam declar. 50.

Q U Æ S T I O II.

An censeatur Parochialis Ecclesia vacare si
promoveatur illius Parochus ad Episcopatum
titularem in partibus Infidelium, & in alicujus
Episcopi Suffraganeum ?

Respondeo negativè. Sic enim resoluit S.
Congregatio Concilij, die 14. Decembris 1601.
quam refert Barbosa collect. 552. his verbis. Pa-
rochialis obtenta ab eo qui à Sede Apostolica ad
Episcopatum in partibus Infidelium existentem
promotus est, ac eodem tempore alicui Episco-
po in Suffraganeum deputatus fuerit, non intel-
ligitur vacare.

Q U Æ S T I O III.

An possit Episcopus dispensare, ut quis ante
annum 25. inceptum, obtineat Parochialem Ec-
clesiam ?